

Petrus de Vinea

*Ep. II 27 (Delectat nos uobis
de nostrae felicitatis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 27 (Delectat nos uobis
de nostrae felicitatis...)*

1253

Eisdem, narrans suos euentus.

1. Delectat nos uobis de nostrae felicitatis euentibus noua describere, quos multae fidei multaeque deuotionis preclaritas, sicut firmiter credimus, auidos nostrae prosperitatis efficit auditores. 2. Dum enim gratitudines seruitiorum innumeras, quas dudum clarae memoriae domino genitori nostro prestantes constanter in filium transtulistis, diligenter aduertimus; dum uoluntatem uestram, quam mater alumpna fidelitas semper hactenus seruauit illesam, memori meditatione pensamus, libenter uobiscum familiaria status nostri uerba conferimus, cum quibus libenter etiam quoslibet prosperitatis nostrae successus presentialiter partiremur. 3. Noueritis igitur, quod diuina fauente gratia, quae semper dirigit gressus nostros, sospitatis corporeae uotius beneficio fruimur, et conculcatis undique rebellionis obstaculis, quae dudum, incognito potentiae nostrae brachio, palpitare quodammodo uidebantur, in regno nostro Syciliae potenter et uiriliter triumphamus. 4. Verum quamquam opus armis fore de cetero magnificentia nostra non credat, dum fidelibus nostris regnicolis omnimoda pace gaudentibus solo uerbo cuncta disponimus, et solus nutus imperat et gerit officium gladiatorum, nichilominus tamen non sic otio uacandum fore censuimus, quin potentiam nostram terrae marisque uiribus continue muniamus, ut per hoc et acquisita in brachio potentiae nostrae possimus defendere, et circa partes Ytaliae, de cuius negotiis diligens nos cura sollicitat, habiliter intendere ualeamus.